

† R. P. Franciscus Xav. Reuss.

(*Prov. Argentorat.*).

Aggredimur vitam defuncti texere fratris, cuius nomen nemini nostrum ignotum esse existimamus, quem plurimi etiam in regionibus dissitis praesentem viderunt atque dilexerunt, quem omnes plus quam a quinquaginta annis, cum Rectoribus Maioribus a litteris esset, negotiis nostris maximis occupatum fuisse noverunt. Vita eius magna varietate carere videbatur, sed tamen et ingenio et spiritu Alphonsiano ditissima est.

P. Reuss die 9 novembris a. 1842, centesimo decimo natali Congregationis nostrae, natus est in Bergheim Alsatiae ad radices Vosegi montis. Pater fabri ferrarii artem exercuit, quam dilecti patris gratia, cum iuvenis esset sacerdos, Franciscus carmine lingua germanica composito celebravit, clarissimi viri Friderici Schilleri de campana carmen (*Das Lied von der Glocke*) imitatus (1). Ab hoc patre staturam illam corporis roburque



hereditate accepisse videtur, quibus etiam senex inter homines eminebat molestisque ac morbis non pervius esse videbatur. Matris memoriam senex plus septuaginta annorum carmine latino conservavit de libello quodam scribens ab ea accepto, quo ipsa orando usa, et in quem dies vitae suae suorumque memorabiles litteris referre solita esset. Hoc pietatis filialis testimonium quantopere ex animi sensibus natum esset, eventu probatum est, cum carmen illud in certamine Hoeffftiano

Amstelodamensi anno 1915 aureo praemio ornatum esset (2). Sororem unam germanam Franciscus habuit, fratrem nullum.

Prima litterarum rudimenta in schola patria Fratrum Mariae didicit. Puer fuit vegetus et alacer, a puerilibus ludis facetiisque non alienus, ac Iudaeis praesertim non semel dolos se nexuisse senex etiam ridens narrare solitus est. At seriis quoque rebus pueri animus commovebatur. E doctrina christiana, quam a sacerdote loci vicario didicerat, sodalibus ludorum suorum partes aliquas repetebat, uti de s. missae sacrificio. Et quondam sellam pro pulpito ascendens parentibus audientibus de ieiunii ecclesiastici lege verba fecit. Cum inter pueros ascitus esset, qui in ecclesia parochiali ad altare servirent, nonnumquam Patres e Congregatione nostra vidit, qui in Bergheim veniebant, inter quos praesertim Patrem Neubert amore praecipuo prosecutus est.

Interea Deus vocationis semina in cor pueri insevit. In conventibus enim, qui a ruricolis tempore hiberno singulis vesperis celebrabantur, ex Annalibus propagationis fidei multa legit de missionariorum laboribus aeternisque pro animarum salute exantlatis, ac de populis miseris, qui fidei lumine carerent. Quibus auditis lectisque de missionibus narrationibus puer decennis de vita missionarii capessenda cogitare coepit. Missionibus praesertim Sinensibus animus eius trahebatur, ad quas patronum suum caelestem S. Franciscum Xaverium imitandi desiderio movebatur. Cuius desiderii culmen ascendit, cum in catechismo explicando sacerdos de baptismo sanguinis verba faciens pueris exposuisset, quam felices illi essent, qui pro fide tuenda sanguinem vitamque profundere possent. Tunc Fran-

(1) « Der Schlosser », *Nova tentamina poetica*, pag. 284 ss.

(2) « Mnemosynon », *ibidem*, pag. 3 ss.

ciscus martyrii in missionibus subeundi desiderio correptus est. Paulatim quidem studii vitae religiosae relaxati ipse se accusat, sed vocationem religiosam ne tum quidem ex animo evanuisse confirmat, quamquam ceterum indole nimis mobili et inconstanti se fuisse fatetur. Quam firmum eius propositum fuerit, inde patet, quod puer condicionem sibi a propinquo quodam factam de studiorum expensis, quas pater ferre non poterat, tolerandis ideo reiecit, quod animadvertit ita viam sibi tantummodo ad statum sacerdotis saecularis pandi.

Et tamen difficultas maxima in fortunae angustiis posita erat, quibus compulsus pater etiam de Europa relinquenda Americaque petenda cogitare coeperat, quo eum sex fratres, qui iam pridem eo migraverant, vocabant. Franciscus hoc vocationis suae periculum fore suspicatus gaudio repletus erat, cum pater consilium mutavisset. Desiderium pueri certe precibus assiduis, praesertim rosario saltem ter singulis hebdomadibus, at saepe ter per diem recitato confirmatum est, primaque s. communionem etiam crevit. Tandem, cum esset annorum tredecim vel quattuordecim, Franciscus desiderio suo Patri Neubert patefacto eius opera adeptus est, ut ab eodem sacerdote, qui doctrina catechismi explicata martyrii vocationisque religiosae in eo desiderium excitaverat, linguae latinae initia doceretur. Ita denique studiis incohatis, cum bonis progressibus optimam sui spem fecisset, die 29 septembris a. 1858 sedecim annos natus in collegio S. Nicolai a Portu noviciatum ingressus festo S. Stanislai Kostka vestem S. Alphonsi accepit eodemque recurrente die anno sequenti 1859 votis religiosis Deo se consecravit.

In brevi de vocatione sua compendio, quod in noviciatu conscripsit, praeter salutem animae in tuto collocandam et missionarii vitam in hominum derelictorum profectum capessendam, martyrii quoque desiderio se motum esse confirmat. Ingenue quidem et humiliter fatetur etiam vanitatem quandam his animi desideriis admixtam fuisse, cum multis conversionibus peccatorum effectis nomen suum celebratum iri putaret. Statim vero addere potest: « Nunc non martyrio, non missionibus longinquis me video fieri posse sanctum, sed voluntate divina perfecte adimplenda, dum Iesu Christi vitam exemplaue sequor. Id facere conabor gratia Dei adiuvante ac B. Virgine cum S. Alphonso protegente ». Quam mire his verbis longam vitam suam depingeret, vix ipse Reuss novicius suspicatus est.

In studentatu Teterchenensi deinde in studia incubuit et die 22 decembris a. 1866 ab episcopo nobis amicissimo Nicolao Adames, Vicario Apostolico Lucemburgensi, ad sacerdotium promotus est. Studiis denique absolutis, cum iam in missiones suas dilectas se exire posse speraret, ea spe deceptus est. Cum enim per annum theologiam dogmaticam in studentatu docuisset, cum P. Michaele Ulrich, qui in Galliam profectus erat, Romam petere iussus est. Eorum in urbem adventus in chronicis collegii

ad S. Alphonsum die 14 octobris a. 1868 refertur. Hanc deinde sedem P. Reuss retinuit, donec eam campo sacro Verano commutavit.

Tempora tum quidem erant turbulenta, sed Roma suum habuit dominum ac principem Summum Pontificem Pium IX. Quidquid ex eo tempore Romae accidit, id P. Reuss testem habuit. Praeclarum concilium oecumenicum Vaticanum, iacentis ad portam Piam muri ruina, ecclesiae in ipsa eius sede vexationes, condicio rerum deinde paulatim placatior, omnia haec in P. Reuss firmam columnam frangere nequiverunt, ut iniuriam pro iure agnosceret. A Pio IX s. m. ad Pium XI quinque Summos Pontifices Romae vidit omnibusque ex animo filiali amore adhaesit, palpalis homo, ut ita dicam, usque ad extremum vitae spiritum.

Missionarii, oratoris sacri, vel etiam confessarii munia P. Reuss numquam obivit, quod non unus nostrum valde forsitan miretur, nisi secum reputaverit aliis quoque laboribus in bono corporis hominum ordine servando opus esse.

In Congregatione notum est omnibus, quo munere P. Reuss functus sit. Tribus Rectoribus Maioribus a litteris scribendis fuit, ad hoc munus linguarum prae ceteris peritia commendatus. Praeter latinae linguae elegantiam gallicam quoque et italicam, germanicam et anglicam optime noverat, ita ut in omnes fere provincias litteras dare posset. Quam bene autem hoc officio suo functus sit, in epistula circulari ultima die 19 martii h. a. ad nos data ipse Rm̄us P. Generalis sincere professus est, cum diceret nescivisse se, quomodo sine illo manere posset. Ipse autem P. Reuss, quamquam duo et octoginta annos natus, numquam servitia sua detrectavit, sed diligentissime et accuratissime, quidquid agendum erat, perfecit, donec non ipse, sed ultimo morbo Deus scribendi finem fecit. Quae per hos quinquaginta sex annos merita acquisiverit, facile computes, si ad omnes litteras libellosque eius rettuleris, quod in fine Actorum capituli generalis undecimi a se conscriptorum addidit more suo versu complectens, quae cogitabat: *Tot, Iesu, tibi sint laudes, quot grammata scripsi!*

Huic capitulo generali, quod anno 1909 celebratum est, pro munere suo interfuit. Defuncto enim die 22 novembris a. 1907 P. Augustino Berte, in eius locum P. Reuss consultor generalis secretarius creatus est, quare, cum capitulum generale mox convocari placuisset, munus ei obvenit eius praeparandi et adornandi. Capitulo finito et munere consultoris dimisso novo Rectori Maiori operam suam praestare perrexit.

In his tabularii officiis animus eius non est arefactus, neque commisit, ut strictim tantum et qualicumque modo negotiis se expediret. Quidquid praesertim lingua latina scribendum erat, sermonis vere elegantia praestabat. Ciceronis enim Vergiliique linguam, cuius sibi in studentatu magistrum Rm̄um P. Generalem Raus fuisse gloriabatur, non obiter tantum, sed penitus atque optime didicerat et per omnem vitam magis magisque

excolere studuit. Forcellinii praesertim indicem totius latinitatis numquam e manibus dimisit, etiam senex eum volvens atque revolvens eumque saepe tamquam pro oblectamento suo repetens. Qua assiduitate tantam denique sermonis latini elegantiam adeptus est, ut a viris studiorum humanitatis peritis inter primos Latine doctos numeraretur.

Soluta quidem oratione praeter officii sui litteras non multa conscripsit et nihil typis edidit. At ingenium eius in altum ferebatur, ut animi sui cogitata sensaque versibus exprimeret. Non quidem, quidquid temptabat scribere, versus erat, sed in versibus eius magna cura expolitis nescio, an usquam in prosodiae, quam dicunt, leges peccata reperias. Duae autem, quae in moribus eius erant, indolis proprietates, etiam in operibus eius reperiuntur: pietas erga Deum hominesque ac sincera hilaritas ad extremam senectutem servata paene puerilis. Inde in carminibus eius Dei Sanctorumque laudes inveneris celebratas, e quibus non pauci hymni a S. Rituum Congregatione probati in Officium divinum sive in Proprio nostro, sive in aliarum familiarum religiosarum Propriis inserta sunt. Iterum atque iterum enim rogabatur, ut ad nova officia novos hymnos componeret, quod ille, ut erat officiosus, numquam renuere potuit. Ultimo quoque vitae tempore in Missali quodam lusitano adornando multum curae ac temporis impendit. Alia autem eius carmina ex animo hilari ac sincero profecta esse videntur, qui et rerum natura et hominum interdum defectibus describendis delectabatur.

In commentariis primum Romanis, quibus nomen erat « Vox Urbis » et « Alma Urbs », plerumque versus suos edere solitus erat. Ita sociorum academiae ab « Arcadia » nuncupatae aestimationem adeptus et, quod haud parvi est honoris, ab eis socius lectus est. Inde ab anno 1900 ad certamina publica etiam descendit, quibus carmina latina praemio ornari solent, in iisque Romae bis praemium argenteum tulit, Amstelodami vero in celeberrimis certaminibus Hoeufftianis duodecies magna laude ornatus est et anno 1915 pro *Mnemosyno* illo in matris memoriam conscripto praemium aureum tulit. Quae res ei dimidium tantummodo gaudium paravisset, nisi Summus Pontifex Benedictus XV s. m. oblatum sibi illud aureum numisma precibus importunis victus dono accepisset.

Mox etiam carmina sua colligere et amici sui Cuggiani typis accuratissimis edere coepit. Ac primo quidem anno natali bis centesimo S. P. N. Alphonsi (1896) carmina eiusdem sacra lingua italica descripta ac versibus latinis a se reddita divulgavit. Qui liber, cum tanto plausu ab omnibus exceptus esset, ut paucis mensibus divenderetur, anno sequenti alteram editionem auctam novisque curis subiectam expertus est. Secutae sunt a. 1905 « Fabulae selectae Ioannis La Fontaine » versibus elegiacis e lingua gallica in latinam conversae. Cetera vero carmina sive sacra sive profana duobus voluminibus complexus est, quae, qua erat modestia, titulis parum

poeticis « Tentamina poetica » (1911) et « Nova tentamina poetica » (1922) inscribi voluit, utraque Summis Pontificibus, Pio X priora, altera Pio XI dedicata.

Carmina P. Reuss laudibus efferendi, sive, ut fieri quoque solet, reprehendendi hic locus non est. Id unum addere iuvat, morte eius magnum inter litterarum latinarum cultores luctum incidisse; quod « Almae Urbis » moderatores, cum mortuum laudarent, libere professi sunt.

Eius sacrarum litterarum amoris bibliotheca nostra Romana ad S. Alphonsum usque testis erit. Cum enim per nonnullos annos curam eius ageret, singulari quadam diligentia sua magnoque labore thesauros litterarum theologiarum omnis generis pretiosissimos acquisivit, praesertim scriptores, quos S. Alphonsus in operibus suis allegat. Haud raro extranei quoque studiorum causa eam adeunt, quod Romae in tanta litterarum copia mireris.

Inter morum eius dotes amorem erga S. Patrem nostrum Alphonsum Congregationemque praefulsisse quis est, qui nesciat? Inde caritas quoque eius fraterna enata est. Vix quemquam inveneris, qui ab eo vel minima in re laesum se esse dicat. Admiranda vero fuit eius animi hilaritas non tantum in iuvene, sed etiam in sene servata illaesa. Quidquid iocosi audivisset vel iterum recordatus esset, ridens ipse narrare in recreatione aliave sibi oblata occasione in deliciis habuit. Cum iuvenili vero hac hilaritate simul sincera pietate et regularum observantia religiosum se esse numquam non est professus. Ita factum est, ut omnibus carus esset, quibus sive Romae sive in itineribus longinquis eius cognoscendi facultas data erat.

Tragico fere more factum esse dixeris, ut hominem corpore gigantem quasi musca morsu suo occideret. Cum enim clavum e digito pedis sibi detraxisset, vulnere molesto inde orto coactus recubuit, et gangraena accedente, cum diabete morbo iam diu afflicto esset, brevi ad extrema ductus est. Melius ac pulchrius quidquam de eius morbo dicere non possumus, quam quae ipse Rñus P. Generalis in epistula circulari (*Anal.*, IV, 2, pag. 66) scripsit. Itaque, cum annus universalis iubilaei in urbe iam inceperet, indulgentiam anni sancti lucratus placido fine quievit et in agro Verano sepultus est, ubi in lapide sepulcri nostri brevissimum et subtilissimum illud incisum legitur: *Initium verae vitae*. R. i. p.!

---

*Quam pulchra res est mori (si oportuerit te mox mori) ob amorem Iesu Christi! Ad quid nobis vita utilis est, nisi ut eam pro Deo profundamus?*

(S. Alph. ad nov. L. Capuano, d. 7 aug. 1755).